



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quod amor est excellentiſſima virtus, 28

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

corde deficio præ timore: Quia non sentio in me miserabili peccatore aliquam ex causis prædictis, ob quam tu debeas me diligere, sed potius ob opposita odio habere. Sed tamen ad tuam immensam clementiam confidenter accedo, ut parcere mihi digneris, & remittere misericorditer omnia peccata mea. Et sic me disponere in cogitatione, locutione & opere, ut per innovationem tibi placeam; & causam habeas me diligendi: ut te diligentem me, per infinita sæculorum sæcula vicissim diligam, Amen.

C A P V T XXVIII.

Quod amor est excellentissima virtus.

I. **I**Nter cæteras virtutes (benignissime Domine Iesu Christe, semper amabilis, excellentissime) vera dilectio est excellentissima; & ideo oleo comparatur: Quia sicut oleum aliis liquoribus supernatat, sic vera dilectio alias virtutes vel gratias antecellit. Ista vera dilectio sic reddit tibi Domine hominem charum & preciosum, ut filius tuus nominetur. Qui autem illum non habet, despectus est, & erit coram te sicut stilla fistulæ, de quo & similibus scribitur: Ecce gentes quasi stilla fistulæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt, & quasi pulvis exiguus. Scio Domine Iesu Christe, operum & virtutum æstimator justissime, quod licet talis exercent opera de genere bonorum, parvi tamen valoris sunt,

sunt, si dilectionem non habeat; nec ex ipsis operibus, quantumcunque fuerint preciosa, obtinere valebit regnum caelorum, nisi ea faciat in dilectione & amore. Haec enim vera dilectio unit hominem tibi tanquam capiti, & fidelibus tanquam membris. Ideo haec unio valde chara debet esse homini. Sicut enim unitas, quae est inter caput & corpus, diligitur; sic etiam incomparabiliter diligere debet unitas, quae est ex vera dilectione inter te & hominem; & abscissionem & separationem tantae veritatis summopere cavere debet homo, & fugere plus quam proprii capitis abscissionem. Sine hac vera dilectione, nullum verum bonum adest homini; imo in vanum & frustra habentur caetera bona, saltem quantum ad salutem aeternam obtinendam. Si autem homini adsit vera dilectio, habet omnia bona vel in se, vel in aliis.

2. Vera dilectio, Domine, est scientia & sapientia, de qua scribitur: Dilectio Dei honorabilis sapientia. Unde non solum scientia esse videtur, quia scientia in multis hominem regere non potest, vera autem dilectio potest. O misericordissime Domine Iesu Christe, amantium rector & gubernator, quoties hanc unionem verae dilectionis ego miser & sceleratus divisi & fregi perpetracione multorum & diversorum peccatorum! Et proinde opera mea inutilia feci, & tempus mihi datum ad operandum bonum perdidit. Adjuva me piissime Domine, & dele iniquitates meas. Et reforma in me veram dilectionem, qua mediante opera talia hic impleam,

pleam, quo ad regnum amoris æternum tandem pertingere valeam, Amen.

C A P V T X X I X.

De amore Dei & proximi.

1. **O**rdinata dilectio (clementissime Domine Iesu Christe, qui omnia per amorem ordinas) est amor verus ad te, & proximum. Nam hominis amor ordinatus ad te est, si te amet propter te, & super omnia. Si autem amor quo quisquam te amat, est propter temporalia, non est amor ordinatus, sed tibi contumeliosus. Quia qui te amat propter temporalia, plus amat temporalia quam te. Vnde cum tali amore præponatur creatura tibi creatori, non est hoc sine contumelia & offensa tui. Non enim est amor ordinatus, nisi tu super omnia ameris, cum tu in infinitum melior sis omni creatura. Amor vero proximi ordinatus est, si ametur proximus propter te, & quia æque ad te ordinate amandum creatus est. Si autem parentes aut propinqui plus quam tu amentur, non est talis amor ordinatus: neque sic amans est te dignus. Duo enim sunt præcepta à te nobis data: Dilectio Dei & proximi. Et licet duo sint præcepta, tamen unus est amor, quia alius amor non est quo quis diligit proximum, & quo diligit te, alioqui non esset propter te. Nec potest te quisquam diligere, qui in proximi dilectione noscitur oberrare.

2. Cogitatio namque hominis, Domine Iesu Christe, veræ dilectionis ordinator,